

dicta Balneogien. fideicommissi 6. Februarii 1708. §. Contrarius cum seqq. coram Eminentissimo D. Card. Scoto, & animadversum fuit in præterita decisione §. *Authoritates*.

Quod si indubitanter procedit attenta simplici præsumptione Juris, quod Testator non voluerit regulare vocationem secundum naturam, & Jure sanguinis, sed secundum legem, & Jure successio- nis, ut advertit Rot. in dicta Balneogien. fidei- commissi 6. Februarii 1708. §. *Nec majoris coram Eminentissimo D. Cardinali Scoto*, eo securius, & citra quamcumque difficultatis aleam procedere visum fuit in præteriti casu, in quo Testator foeminas in defectum masculorum vocatas, succe- dere voluit juxta juris communis dispositionem æquis portionibus; Stante namque hac solemnni, & explicita relatione, ad Juris communis dispositio- nem, redditur innegabilis voluntas Testatoris, undique conformis legali repræsentationi, cujus ope filii subingrediuntur in locum eorum præ- defunctæ Matris, ad tramites Juris communis, ut expendit decisio, quæ revidetur §. *Tantum autem*.

Frustraque vis, & efficacia dictæ expressæ rela- tionis ad dispositionem Juris communis, decli- nari prætendebatur sub obtentu, quod ea coar- ctata, & limitata remaneret ex sequentibus ver- bis restrictivis, ita tamen ut proximior in gradu &c. debeat præferri minus proximo, aut remotiori: Ultra quod enim dictio ita tamen non semper stat restrictivè, & limitativè, sed aliquando juxta subjectam materiam intelligitur etiam delativè, ut dixit Rot. decis. 910. nu. 2. coram Buratt. ibi- que adden. lit. A. & dec. 911. nu. 6, & 7. coram Seraphin. adhuc semper firmum remanet, quod prædicta verba secundum legem, & jure succes- sionis accepta, non adversantur, imo cohærent dispositioni juris communis, ad quam Testator se referre voluit: Præsertim quia vis eorundem verborum commodè, & opportunè referri potest ad amputandam controversiam, quam idem Testator proposuerat, & suspensam reliquerat in ordine ad dimensionem proximitatis faciendam relativè ad ultimum masculum, vel ad ipsum Te- statorem, dum indefinitè substitutæ fuerant foemi- næ descendentes vel à se Testatore, vel à dictis suis filiis masculis, quæ sanè indefinita substitutionis for- mula, valde dubiam reddebat rem, an in defectum masculorum à Testatore descendendum; suc- cedere deberent foeminae descendentes ab ipso Te- statore, vel potius ab ejus filiis, ideoque, ad di- rimendam hanc controversiam, ritè congruebat, ut idem Testator subnecteret alia sequentia verba præscribentia proximitatem foeminae successuræ, dimetiendam ab ultimo masculo, cui succeden- dum foret, ut advertebatur in præterita decis. §. *Cessante cum seq.*

Hac autem concurrente juridica declaratione; juxta quam commodè interpretari valet dictorum sequentium verborum adjectio, nulla suberat ratio cur eorum vis detorqueri deberet ad tollen- dum filiis Prudentiæ prædefunctæ beneficium subin- gressus legalis in gradum eorum matris ipsis com- petens de Jure, quia cum repræsentatio maximam habeat juris assistentiam, eidemque tam ratio na- turalis, quam civilis cohæreat, ad illam exclu- dendam non admittuntur nisi verba expressa, & quamcumque aliam referibilitatem rejicientia, ut bene firmat Rot. in d. *Æsina fideicommissi 14. Mar- tii 1718. §. Magnam quippe coram R. P. D. meo Falconerio*.

Etque pronius, in hanc benigniorem, & æqui- tati consentaneam intelligentiam repræsentationis præservativam descenderunt DD. itante exten- sione fideicommissariæ dispositionis per Testato- rem adjecta in ejus codicillis, etiam in gratiam filiorum, & descendendum ex eisdem foeminis, cum onere ipsis injuncto assumendi cognomen, & insignia Testatoris absque mixtura, ex qua cir- cumstantia cum resultet jus vocationis, quam ad hoc fideicommissum ex Testatoris providentia ob- tinent ex propria persona filii Prudentiæ præde- functæ, hinc eo facilius indulgendum ipsis vide- batur beneficium repræsentationis, quæ si præten- di posset etiam præcisivè à Jure propriæ eorum vocationis, nempe ex titulo legalis subingressus in locum, & gradum prædefunctæ Matris, indubitanter est admittenda, concurrente quoque ipsorum vocatione ex proprio jure, & persona. Potissimè reflectendo, quod ex hujusmodi voca- tione nominatim directæ etiam ad filios foemina- rum, cessat peculiaris causa prædilectionis erga ipsas foeminas, quinimmo inducitur cœqualis affectio Testatoris indiscriminatim effusa, tum in foeminas, quas in Testamento masculis substituit, tum in ipsarum foeminarum filios, & successores in infinitum, quos collectivè in Codicillis grava- vit onere assumptionis cognominis, & armorum; Stante autem cœquali affectione Testatoris erga omnes descendentes, subintrat ordo naturalis caritatis juxta quam filius in locum patris præmor- tui censerit debet vocatus ope repræsentationis, ut in puncto ratiocinatur Rot. decis. 702. nu. 10. & 11. par. 18. to. 2. rec. in Interammen. fideicom- missi 11. Decembris 1705. §. *Cumque coram bo. me. Molines ibi, de qua voluntate satis constare visum est ex eo quod Pompejus Testator æqualiter vocavit ad d. fideicommissum particulare foeminas, & eorum descendentes? Unde cum æquè censetur omnes dilexisse, consequens est voluisse, ut inter illos locum haberet repræsentatio, & in d. Æsina fidei- commissi 14. Martii 1718. §. Quæ ratio coram R. P. D. meo Falconerio, §. Eoque securius.*

Et ita &c. utraque, &c.

R. P. D. LANCETTA DECANO.

ROMANA MANUTENTIONIS.

Veneris 15. Maii 1722.

ARGUMENTUM.

Prohibitio detractionum unius speciei ad diversas species per clausulas generales quan- do non extendenda. Quid inter dotem in fructibus, & illam in usufructu constitutam interfit, & quomodo alterutro modo con- stituta dicatur. Quando procedat, hæredem gravatum melioramenta perpetuam utilita- tem afferentia non posse deducere.

SUMMARIUM.

1 Prohibitio detractionum unius speciei ad diver- sas non extenditur.

2 Exceptio

- 2 Exceptio regulam declarat.
- 3 Testator de re hæredis disponere non præsumitur.
- 4 Fideicommissario possidenti quando danda manu- tentio.
- 5 Fructus in dotem dati soluto matrimonio resti- tuuntur.
- 6 Ususfructus in dotem cessus dat viro liberam fru- ctuum acquisitionem.
- 7 Actus intelligendus ad formam præcedentis ad quem refertur.
- 8 Legatum omnium fructuum pro dote intelligen- dum de usufructu.
- 9 Fructus vice ususfructus plerumque à Testatori- bus usurpantur.
- 10 Ususfructus servitutem importat.
- 11 Fructuum appellatione quando veniat usufru- ctus & n. 13. & 14. ubi reselluntur objecta.
- 12 Verba intelligenda ex consuetudine proferentis.
- 15 Dotis causa cessat soluto matrimonio.
- 16 Factum suum, sui que auctoris nemo impugnare potest.
- 17 Ususfructus utrum Patri prohibitus censeatur in bonis relictis filio cum onere primogenituræ.
- 18 Filius à Patre non repetit fructus ex hujusmodi bonis suo consensu perceptos.
- 19 Melioramenta perpetuam fundo utilitatem affe- rentia quando non resciantur gravato.
- 20 Detractiones turbidæ fideicommissario manuten- tionem non impediunt.

DECISIO XVIII.

Adversus gemina Judicata, quorum alterum in Partibus, & alterum in Curia coram A. C. prodierant super manutentione favore Marchionissæ Elisabeth filiz, & hæredis Mar- chionis Constantii de Bentivolis, commissa mihi ex audientia Sanctissimi ad instantiam Marchio- nis Bartholomæi de Bobus ulteriori causæ cog- nitione cum facultate manutendi quem de ju- re, proposui in Rota diei 31 Januarii 1721. con- suetum regulare dubium, An, & cui sit danda manutentio, verum dilata ea die resolutione res- criptum fuit, ut videtur, de bono Jure, etiam ad effectum manutentionis; Quamobrem hodiè iterum consului DD. super dubio in Audientia diei 21 Martii ejusdem anni 1721. ob petitam à Marchionissa dilationem non resoluta, An scilicet, & de cujus bono Jure constet etiam ad effec- tum manutentionis, & responsum fuit, *Constare de bono Jure Marchionis Bartholomæi juxta mo- dum infra explicandum.*

Fundamentum autem resolutionis minimè ste- tit in eo, quod Marchionissa Elisabeth opponere nequiret detractiones quantitativas sibi compe- tentes, sicuti innixi cuidam prohibitioni à Philiberto Fideicommittente ejus hæredibus indictæ præliminariter sustinebant Defensores Marchio- nis Bartholomæi: Etenim licet in dicta prohibi- tione Philibertus Fideicommittens amplius, ac generalibus verbis usus fuerit, ibi, *E qualun- que alia deduzione*, ea tamen tanquam conti- nuè apposita post prohibitionem legitimæ, ac Trebellianicæ, sicuti de similibus, & quotativis deductionibus intelligi tantum debent, ita ex- tendi nequeunt ad jura, & credita propria hære- dum, diversam, ac longè dissimilem detractionum speciem constituentia, ut alias in his terminis res- pondit Rota coram Duran. Decis. 93. nu. 10. & coram Priolo decis. 378. n. 11. & seqq. & coram bon. mem. Emerix decis. 122. nu. 5. & latè in Romana Fideicommissi de Panthera 10 Martii 1710. §. *Cre- Decisiones ad Tract. de Alim.*

dicta, & seqq. coram Reverendissimo Crispo; Cum præsertim dotem propriam Mariæ Cæcilie hære- dis, tum aliam ab ejus Matre provenientes, tum denique jura hæreditaria Margaritæ Semen- tis, quæ sunt sine dubio de genere detractionum, quæ accidentales, & quantitativæ vocantur, nomi- natim præservaverit, quasi regulam exceptio- ne declarando *Surd. decis. 124. n. 10. & seq. Rot. 2 decis. 380. nu. 7. par. 19. recen.* Imò verò detrac- tiones non aliter veterit, quam consecutivè ad prohibitionem alienationis propriorum Bonorum, de quibus, & non de rebus, aut juribus prop- riis hæredum disponere professus fuit, sicuti ad rem advertunt *Peregrin. de fideicommiss. art. 6. num. 14. De Luc. de fideicommiss. disc. 134. n. 15.* & aliis allegatis concordantibus Rota in dicta Ro- mana de Panthera §. *Verum coram Reverendissimo Ravennaten. & in Maceraten. Legatorum, & Fi- deicommissi 3 Julii 1711. §. Quod autem coram bo. mem. Ansaldo.*

Ratio itaque decidendi unicè desumpta fuit, ex quo sicuti inter partes nulla est contentio, vel super purificatione fideicommissi à memo- rato Philiberto instituti favore Marchionis Bar- tholomæi, vel super identitate Bonorum, ita nulla debet esse difficultas, quo minus ipse sit in possessione eorundem Bonorum, quomodo- cumque eam à principio nactus fuerit hodiè ma- nutenendus: Si enim ei ratione boni juris ne- gari non posset immissio, quatenus pro adipis- cenda possessione ageret, multò sanè magis dan- da est manutentio, dum à longo tempore pos- sident, & detractiones, quæ contra ipsum op- ponuntur, minimè competunt, ad tradita per *Bald. in l. Fundus 9. n. 5. ff. de rescin. vendit. Rot. coram Cavaler. decis. 539. num. 7. & 8. & in rec. decis. 140. num. 1. & 3. par. 13. ubi concor- dantes.*

Haud, inquam, competunt detractiones; Eas enim singulariter examinando; quod ad primam attinet librarum 28874. compositam ex fructibus pro augmento dotis Cæcilie Cultelli Philiber- to Viro assignatis, & ab eo durante matrimo- nio perceptis ex Bonis Bononiæ, obnoxiiis fi- deicommissio Francisci Cultelli olim nostræ Cu- riæ, & Sac. Consistorialis Aulæ Advocati, quam- vis, Marchionissa contenderet dictæ dotis aug- mentum fuisse in ipsis fructibus constitutum, at- que ideò illos, dissoluto matrimonio, non fecus, ac reliqua capitalia eodem titulo tradita esse restituendos; Integra tamen facti serie ma- turè perpensa verius visum fuit non fructus ip- sos, sed jus incorporale illos percipiendi dotis nomine fuisse Philiberto viro assignatum, in qui- bus terminis certum est nihil esse soluto matri- monio restituendum, cum jus, seu commoditas pro dote assignata statim, ac matrimonium solvitur, ipso jure extinguatur, fructus verò eo du- rante percepti non fecus, ac cæteri fructus Bo- norum dotalium ad virum pertineant, ut distin- guendo inter unum, & alterum casum docuit *Bald. in l. Si convenerit 4. ff. de pact. dotal. nu. 1. Card. de Luc. de dot. disc. 148. sub num. 16. & seq. Rota coram Merlin. decis. 843. nu. 2. & seq. & in rec. decis. 393. nu. 7. & seq. par. 18. & in Roma- na, seu Terracinen. Pecuniaria 3 Junii 1704. §. Al- terum coram clar. mem. Cardinali Caprara, & 2 Martii 1705. §. Et sanè, cum seqq. coram bon. mem. Cassarelo.*

Rem verò ita se habere DD. ex eo censuerunt quod Julia Sponsæ Mater non aliter controver- sos fructus pro argumento dotis Philiberto assi- gnavit



gnavit quam relativè, & in executione Testamenti, & ultimæ dispositionis Advocati Francisci Cultelli ejus Leviri & respectivè Sponsæ Patru, nudè cum iste propriis Neptibus titulo augmenti dotis usumfructum legaverit eorum Bonorum, quæ Bononiæ possidebat, omninò dici debet, quod etiam Julia licet in actu assignationis fructuum verbo usa fuerit; Re tamen vera usumfructum, sive jus & commoditatem illos percipiendi assignaverit, ut iste subsequens actus relativè, & in executione dictæ ultimæ dispositionis Advocati Francisci, cum ea in omnibus cohæreat, & uniformem recipiat interpretationem juxtà vulgatum principium, de quo Bart. in leg. Si ià scripsero in fin. ff. de condit. & demonstrat. Rot. decis. 1087. n. 1. coram Emer. & in Romana Fideicommissi 22 Februarii 1715. §. Parumque coram R. P. D. meo Cerro.

Nec obitare visa fuit responsio illa, quod imò Advocatus Franciscus non jus aliquod, aut usumfructum, sed fructus ipsos ex ejus Bonis retrahendos ejus Neptibus legaverit, ibi, *Gli lascia durante la loro vita tutti li frutti, che si caveranno dalli suoi Beni, che hà in Bologna*, quod enim legatum his verbis conceptum, perindè accipiendum sit, ac si usumfructus legatus fuisset sunt *Textus aperti, & literales in l. Si quis ià 24. ff. de usufruct. ibi, Si quis ià legavit fructus annuos fundi Cornelianii Caio Mævio do, lego, perindè accipi debet hic sermo, ac si usumfructus fundi legatus esset & in l. Cum ià 41. ff. de usu, & usufruct. legat. ibi, Cum ià legatum esset: Fructus annuos fundi Cornelianii Publio Mævio do, lego, perindè putat accipiendum esse Labeo, ac si usumfructus fundi similiter esset legatus, vel quia hæc plerumque est mens Testamentum, hicque loquendi mos, ut fructum accipiant pro usufructu, sicuti reddendo rationem legis inquit Cujac. ad leg. Fundi Trebatiani, & dicta l. Cum ià ff. de usu, & usufruct. legat. oper. posth. tom. 3. litt. A. & B. & cum aliis Lagun. de fruct. par. 2. cap. 6. n. 5. & seq. sive quia cum Testator fructus dat, atque legat, eo verbo dandi, legandique potestatem facit Legatario sumendi, & vindicandi ipsos fructus, & consequenter servitutem constituit, quæ non nisi usumfructus esse potest, ut doctè explicat conciliando alias leges Hugo Donell. in Com. Juris Civil. lib. 10. cap. 5. §. Illud tenendum est, cum seqq.*

Utraque autem ex prædictis rationibus casui, de quo res est, mirabiliter aptatur; Quod enim mos fuerit Advocati Cultelli fructus accipere pro usufructu præclare evincitur ex illo alio ejus Testamenti loco, in quo iussit, ut fructus decursi post obitum ejus Neptum unà cum proprietate, & dominio devolverentur ad eorum filios masculos per fideicommissum substitutos; undè sicuti respectu Pronepotum mentio fructuum non nisi pro ea usumfructus specie accipi potest, qui cum proprietate conjunctus est l. Uti in princip. ff. de usufruct. & l. Si cum argentum §. pen. ff. de exeq. rei Jud. l. Mævius 66. §. penult. l. Cum filius 76. §. Dominus de legat. 2. ità respectu Neptum de usufructu similiter intelligi debet juxtà morem, & consuetudinem loquentis l. Univerforum, ubi gloss. ff. de pign. act. l. Utrum ff. de petit. hered. cum aliis in decis. 2121. n. 85. coram Coccin.

Rursus, quod Testator potestatem ejus Neptibus fecerit fructuum sibi autoritate propria sumendorum, ex eo manifestè apparet, quod verba legati in eisdem Neptes direxit, ibi, *Gli lascia &c. eisdemque injunxit, ut onera Bonorum solverent, eaque meliorare, & custodire deberent,*

imò verò eandem potestatem etiam in eos contulit, quibus ipsæ Neptes nupturæ essent, ut constat ex illo Testamenti loco, in quo constituit Juliam ejus fratrem administratricem omnium Bonorum, donec rispetto alli Beni di Bologna saranno assegnati alli Mariti di dette sue Nepoti per pigliarne il frutto, undè ambigi nequit, quin de usufructu senserit, non verò de Corporibus fructuum, juxtà distinctionem Bartol. in dicta leg. Fundi Trebatiani n. 1. ibi, *Quandoque verba Testatoris sunt lata, & aperta, quod sermonem suum dirigit ad Legatarium, quod manu sua perciperet; quandoque dirigit ad heredem, quod detur de manu heredis, & isti sunt casus indubitabiles, quia in primo est legatus usumfructus, quem sequuntur Faber in l. Si quis ià ff. de usufruct. Pinell. ad l. 1. Cod. de bon. mater. par. 2. n. 11. & seqq. Barbof. in l. Fructus 7. n. 30. & 31. ff. solut. matrim. aliisque adductis Camarell. de legat. lib. 3. par. 10. n. 10. & 11.*

Quæ cum ita sint irritò labore Marchionissa contrà hanc legatis præsumptionem adeò gravibus facti circumstantiis communitam, leves aliquot opponit conjecturas, quod nimirum defunctus esset Jurisperitus, quod discretivè loquutus fuerit de bonis, ac de fructibus, quod alias Neptes non habuissent pro secundis nuptiis idem augmentum dotis, quodque demùm Philibertus integram dotem restituere sponderit; Hæc enim omnia, vel nihil ad rem concludere poterat, vel potius retorquebantur, & sanè retorquebatur, quod defunctus esset Jurisperitus, ex ea namque circumstantia nil aliud deduci poterat, nisi quod ipse eatenus fructuum nomine usus fuerit, cum usumfructu legare vellet, quia nempe sciebat, quod data Legatario potestate fructuum sibi ex certis Bonis sumendorum, perindè erat, ac si usumfructum reliquisset juxtà supra citatos Text. in l. Si quis ià, & in l. Cum ià. Nihil verò ad rem concludere poterat, quod defunctus discretivè de fructibus, ac de Bonis loquutus fuerit, nam etiam inter legatum usumfructus, & legatum Bonorum magna intercedit differentia. Sed minimè subsistebat, quod non restitutus à primo Viro fructibus Legatariæ non habuissent pro secundis nuptiis hoc dotis augmentum à Testatore relictum, quia imò ipsæ soluto matrimonio secum tulissent nomine dotis, & augmenti eundem usumfructum primo Viro assignatum, & cujus commoditatem absque alio facto statim restituisse censetur Philibertus cum causa dotis, & matrimonii per ejus obitum cessavit, sicuti explicant Doctores relati per Rot. decis. 843. coram Merlin. & decis. 393. par. 18. recent.

Sed quatenus etiam ex hisce levibus conjecturis aliqua circa voluntatem Testatoris superfuisset difficultas eam omninò submovisset subsecuta hæredum interpretatio, & observantia; Quod enim Philibertus contrarios fructus constante matrimonio perceptos restituere minimè deberet, planè agnovit Maria Cæcilia ex eodem matrimonio suscepta, & Matris hæres, dum in actu quo nupsit Equiti Philippo de Bentivolis per publicum Instrumentum, prævis omnibus statutariis solemnitatibus celebratum acceptat pro residuo dotium maternas retrocessionem cujusdam crediti lib. 8. mil. in reliquis Philibertum Patrem amplissimè, & sine ulla omninò distinctione inter capitalia, & fructus liberavit ab omni, & toto eo, quod causa, & occasione restitutionis dictarum dotium petere, consequi, & recuperare posset; Et consecutivè ad hanc adeò generalem, atque amplam liberationem nullam successivè hujus præ-

tenti

tenti crediti mentionem habuit in Inventario hæreditatis ejusdem Philiberti Patris, imò verò per aliud separatum Instrumentum sese constituit illius Debitricem pro Bonis ab ea distractis, quod etiam agnovit Marchio Constantius de Bentivolis ejusdem Mariæ Cæciliæ filius, qui prædicta omnia facta proprio in confessione Inventariorum approbavit; ut propterea in hisce circumstantiis vix audiri possit, quod hodiè Marchionissa contra factum suorum Auctorum, & præsertim contra publicum Instrumentum adeò amplæ liberationis quæstionem in his fructibus moveat, prout in simili casu dixit Rot. post Constantin. decis. 102. n. 3. & in Asculana Redditionis Rationis super Bonis fideicommissariis 25 Novembris 1716. §. Quem admodum coram R. P. D. meo Cerro.

Hinc igitur DD. gradum facientes ad aliam detractionem consistentem in fructibus fideicommissi Cultelli per Philibertum exactis post obitum Cæciliæ Uxoris, & de quibus Marchionissa se Creditricem constituere sub obtentu, quod idem Philibertus illos reservare deberet pro Maria Cæcilia filia ad fideicommissum vocata cum onere assumendi cognomen, & insignia de Cultellis minimè oportere censuerunt aggredi quæstionem illam, super qua contrà Saminat. contrav. 87. scripsit Mansi. consult. 475. An scilicet censetur Patri prohibitus legalis usumfructus in Bonis, quæ filio obvenerunt ex onere eidem imposito assumendi nomen, & insignia defuncti: Quidquid enim de hoc sit in puncto juris exuberare visa fuit pro rejiciendo hujusmodi credito circumstantia illa facti, quod ipsa filia in actu, quo sibi Pater dotem constituit, atque hoc titulo assignavit etiam quædam ex dictis Bonis obnoxii fideicommissio Francisci de Cultellis, expressè consensit, & contenta fuit, quod reliqua Bona eidem fideicommissio supposita penes Patrem remaneret ad usufructuandum, donec viveret: Hoc namque stante cum negari minimè possit, quin saltem res esset valdè dubia, atque anceps, an Patri de jure competeret in dictis Bonis usumfructus; In hac utique dubitate consensus à filia præstitus controversiam omnem, favore Patris determinasse videtur, itaut hodiè licere non debeat ejusdem filiæ hæredibus post tanti temporis decursum dotis fructus à Philiberto perceptos, sive usque quo illam nuptui tradidit, sive usque quo ipse fato cessit amplius repetere, juxtà vulgatum Text. in l. Cum à Matre Cod. de rei vendic. cum concordan. apud Buratt. decis. 265. num. 12.

Simili modo rejiciendum quoque visum fuit aliud creditum melioramentorum, & aliud libr. 7. mil. hæreditarium Margaritæ Sementis. Quod enim attinet ad melioramenta, ultra quod illa non videbantur concludenter, & in specie justificata, obstabat insuper eorum refectioni præceptum Testatoris, qui ne fideicommissum in minimo diminueretur explicitè mandavit, ut melioramenta quæcumque quamvis perpetuam fundi utilitatem respicientia fieri deberent per possessores pro tempore, & respectivè gravatos cum fructibus ipsius fideicommissi, cui sanè præcepto dubium non est, quin hæredes parere cogantur, ad

19 Text. in l. si quid Possessorem §. Sic autem, & l. Sed est §. Consultat ff. de petit. hered. Gratian. c. 175. n. 5. Surd. dec. 61. n. 6. Cabed. dec. 31. n. 1. par. 2.

Quod verò pertinet ad creditum hæreditarium Margaritæ Sementis, licet Marchio Bartholomæus illud non impugnaret, ex eo tamen negari illi nequibat manutentio, quia turbidum, & illiquidum, si non omninò absumptum redditum fuerat ex de-

bitis cum fideicommissio contractis tum quoque à Constantio ejus filio, necnon ex mobilibus, jo-calibus, argenti, aliisque suppellectilibus etiam sacris perventis ad manus ejusdem Constantii Patris, & Auctoris Marchionissæ Elisabeth: Cum dubium non sit, quin hæc sola crediti turbiditas apta sit ejus detractionem impedire, Rot. coram Coccin. decis. 1222. nu. 2. & 4. & coram Bich. decis. 380. num. 15. & seqq. & in Bononien. Trebellianica super Creditis 26 Junii 1720. §. Ast coram R. P. D. meo Covio.

Reliquum fuisset agere de aliis duabus deductionibus illa, nempe libr. 20. mil. quam Marchionissa fundabat in eo, quod toties memoratus Philibertus dotem Mariæ Cæciliæ filiæ constituerit de Bonis propriis in lib. 40. m. prout successivè declaravit in Testamento, & nihilominus eadem Cæcilia nomine dotis nihil ultra habuerit ex Bonis paternis, quam libr. 20. mil. Et de alia consistente in hæreditate, seu fideicommissio Jafonis de Vizzanis, quod eadem Marchionissa sustinebat in præteritis causæ propositionibus ejus favore purificatum fuisse. Verùm super ista DD. censuerunt non esse ultra immorandum, dum hodiè ipsi Marchionissæ Defensores ab ea promovenda destiterant: Quo verò ad primam cum propter suffragiorum scissuram nulla capi potuerit resolutio, hinc propterea rescripto addita fuit clausula illa, *Juxta modum.*

Et ità utraque &c.

R. P. D. LANCETTA DECANO.

HOSTIEN. SEU CORANA FIDEICOMMISSI.

Veneris 20. Junii 1721.

ARGUMENTUM.

Agitur in hac & in sequenti dec. de quæstione resolutionis pluralitatis in singularitates ad explicationem Text. in l. hæredes mei 57. §. cum ita ff. ad sen. conf. Trebell. & rejiciuntur plures conjecturæ allegatæ pro inducenda dispositiva vocatione filiorum positorum in conditione in exclusionem resolutionis pluralitatis in singularitates.

SUMMARIUM.

- 1 Substitutio in tota hereditate sub conditione mortis plurium sine filiis eò magis habere debet locum in parte.
- 2 Pluralitas in hoc casu resolvitur in singularitates.
- 3 Amplia si agatur de transversalibus.
- 4 Item etsi substitutio facta est pluribus per collectivam universalem.
- 5 Verba supradicti hæredes non collectivè, sed distributivè sunt accipienda.
- 6 Maxime si addita sint illa alia verba, sic ut supra descripti.
- 7 Pluralitatis resolutionem in singularitates impedit existens persona prædilectæ.
- 8 Dilectio major substitui ex quibus arguatur.
- 9 Filii in conditione positi per statutum Urbis dispositivè vocantur.
- 10 Id tamen non procedit in portionibus patruorum.

D 4

11 Præ